

nunciare; secus est de malis Angelis, quibus nulla fides adhibenda est. In solutione ad 2, significat D. Thomas animas hominum, qui ex hac vita decesserunt, et sanctæ sunt, et beatæ, posse ministrare sacramenta. Argumentum enim erat hujusmodi. Homines in cælo sunt similes Angelis; sed aliqui homines existentes in cælo possunt ministrare sacramenta, quia retinent characterem indelebilem. Responsio autem ejus, ad propriam formam reducta, videtur consistere in negatione consequentiæ, quia licet homines sint similes Angelis in cælo, quantum ad participationem gloriæ, non tamen quantum ad conditionem naturæ. Atque ita intellexit D. Thomam Soto, d. 4, quæst. 5, art. 7, et revera videtur hic sensus ejus. Est tamen in hunc modum intelligendus, animas scilicet separatas, secundum eum statum, non posse ministrare sacramenta, quia pro tunc non solum sunt similes Angelis in participatione gloriæ, sed etiam in conditione naturæ, id est, in actuali abstractione et separatione a corpore. Neque contra hoc obstat, quod retineant characterem, quia ad sacramentum conficiendum non sufficit character sine organo corporeo, quo vox aut alia vitalis actio, qua constituendum est sacramentum, exerceri possit. At vero, si anima separata ad corpus rediret, illudque informaret, significat D. Thomas, posse illum hominem esse ministrum sacramenti, de qua re, quomodo intelligenda sit, postea dicemus.

ARTICULUS VIII.

Utrum intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti (sup., quæst. 60, art. 8, cor. Et 4, d. 6, quæst. 1, art. 2, quæst. 1, et d. 7, quæst. 1, art. 1, quæst. 1, ad 3, et d. 8, quæst. 2, art. 4, quæst. 3, ad 1, et dist. 30, quæst. 1, art. 3, ad 3).

1. Ad octavum sic proceditur. Videtur, quod intentio ministri non requiratur ad perfectionem sacramenti. Minister enim in sacramento instrumentaliter operatur. Sed actio non perficitur secundum intentionem instrumenti, sed secundum intentionem principalis agentis. Ergo intentio ministri non requiritur ad perfectionem sacramenti.

2. Præterea, non potest homini esse nota intentio alterius. Si igitur intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti, non posset homini ad sacramentum accedenti esse notum, quod sacramentum suscepisset. Et ita non posset habere certitudinem salutis, præ-

cipue cum quædam sacramenta sint de necessitate salutis, ut infra dicitur (quæst. 65, art. 3 et 4).

3. Præterea, intentio hominis non potest esse ad id, circa quod non est attentus. Sed aliquando illi, qui in sacramentis ministrant, non intendunt ad ea, quæ dicunt, vel faciunt, alia cogitantes. Ergo secundum hoc non perficeretur sacramentum, propter intentionis defectum.

Sed contra est, quod ea, quæ sunt præter intentionem, sunt casualia. Quod non est dicendum de operatione sacramentorum. Ergo sacramenta requirunt intentionem ministri.

Respondeo dicendum, quod quando aliquid se habet ad multa, oportet, quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero, quæ in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi, sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari et ad munditiam corporalem, et ad sanitatem corporalem, et ad ludum, et ad multa alia hujusmodi. Et ideo oportet, quod determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis. Et hæc intentio exprimitur per verba, quæ in sacramentis dicuntur, puta, cum dicit: Ego te baptizo in nomine Patris, etc.

Ad 1 ergo dicendum, quod instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus, sed loco intentionis est motus, quo movetur a principali agente. Sed instrumentum animatum (sicut est minister) non solum movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum, in quantum sua voluntate movet membra ad operandum. Et ideo requiritur ejus intentio, qua se subjiciat principali agentis, scilicet intendat facere quod facit Christus et Ecclesia.

Ad 2, dicendum, quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio in ministro, quæ si desit, non perficitur sacramentum, sed hunc defectum in pueris (qui non habent intentionem accedendi ad sacramentum) supplet Christus, qui interius baptizat, in adultis autem, qui intendunt sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides et devotio. Sed hoc satis posset dici, quantum ad ultimum effectum, qui est justificatio a peccatis, sed quantum ad effectum, qui est res et sacramentum, scilicet quantum ad characterem, non videtur, quod per devotionem accedentis possit suppleri, quia character nunquam imprimitur, nisi per sacramentum. Et ideo alii melius dicunt, quod minister sacramenti agit in persona totius

Ecclesiæ, cujus est minister. In verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimitur ex parte ministri, vel recipientis sacramentum.

Ad 3, dicendum, quod licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habituales, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, puta cum sacerdos, accedens ad baptizandum, intendit facere, circa baptizandum, quod facit Ecclesia. Unde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum. Quamvis studiose curare debeat sacramenti minister, ut etiam actualem intentionem adhibeat. Sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate, quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, secundum illud Psalm. 39: Cor meum dereliquit me.

COMMENTARIUS.

1. Hic etiam articulus de perfectione essentiali et substantiali intelligendus est, ut ex discursu ejus plane constat. Quo autem sensu D. Thomas loquatur de intentione ministri, revera est obscurum, propter ea præsertim, quæ docuit in solut. ad 2, ut videbimus. Respondet igitur, necessariam esse in ministro intentionem ad perficiendum sacramentum, et in solut. ad 4, explicat, hanc intentionem debere esse saltem faciendi quod facit Christus vel Ecclesia. Cujus veritatis primaria ratio ex Christi voluntate et institutione petenda est, ut sæpe dixi; tamen D. Thomas, hæc supposita, duas affert congruentes rationes illius. Prima est in argumento Sed contra. Quia si sacramentum non requireret intentionem ministri, casu perfici posset; ea enim sunt casualia, quæ præter intentionem accidunt; hoc autem inconveniens est, et præter sacramentorum dignitatem. Secunda est in corpore articuli, nam externæ actiones, quæ in sacramentis fiunt, ex se indifferentes sunt et ad varios effectus vel fines ordinari possunt; ergo oportet ut determinentur aliquo modo ad unum potius, quam ad alium, id est, ad sacramentalem effectum; non determinantur autem, nisi per intentionem ministri, quæ verbis exprimitur in forma sacramenti.

2. Ministri intentio triplex esse potest. — De qua intentione loquatur D. Thomas. — Circa quem D. Thomæ discursum, dubium in

primis est, de qua intentione loquatur. Triplex enim intentio potest in ministro sacramenti intelligi. Prima est intentio seu voluntas proferendi illa verba seu faciendi actionem externam, verbi gratia, lavandi vel unguendi. Secunda est, intentio faciendi sacramentum, vel, quod idem est, faciendi quod Christus instituit, vel quod Ecclesia intendit. Tertia est, intentio conferendi effectum sacramenti. Obscurum ergo est, de qua intentione loquatur D. Thomas; nam, si considerentur ea quæ in solutione ad 2 dicit, videtur in corpore loqui tantum de prima, nam in illa solutione significat, sine secunda et tertia intentione posse esse validum sacramentum. Atque ita intellexit D. Thomam Sylvest., verb. Baptismus, 3, num. 42, et Adrianus, in 4, materia de Baptismo, quæst. 4, art. 4; et prior ratio D. Thomæ hoc solum videtur probare, quia hæc intentio satis est, ut opus non sit casuale, sed humano modo factum. Posterior item ratio videtur posse ad hunc sensum facile accommodari, quia D. Thomas solum concludit, requiri intentionem sacramentalis effectus, quatenus exprimitur in forma, quæ significat et continet intentionem Ecclesiæ. Neque aliud videtur posse concludi illa secunda ratione, quia materia sacramenti sufficienter determinatur per formam ad esse et consequenter ad effectum sacramenti; ergo, ut sacramentum determinetur ad unum, sufficit, quod minister velit proferre talia verba super talem materiam. Atque hæc expositio, si littera D. Thomæ in cortice tantum inspicatur, videtur certe facilius et clarius illi accommodari. Nihilominus tamen Cajetanus, Soto et omnes discipuli D. Thomæ alienum existimant hunc sensum ab illius mente, quibus ego lubens assentio, tum quia illa sententia in se valde falsa est, et ideo non est impingenda D. Thomæ, nisi evidenter et absque ulla commoda expositione constet, hanc fuisse mentem ejus; tum propter alia, quæ statim afferemus. Alii vero existimant D. Thomam esse locutum de tertia intentione conferendi effectum sacramenti. Ita loquitur Soto, in 4, dist. 4, q. 5, art. 8, circa solut. ad 2. Et videtur favere D. Thomas in illis verbis: Oportet, quod determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem effectum, per intentionem abluentis. Sed hæc sententia sano modo intelligenda est, nam in rigore intentio effectus sacramentalis propria, et ut distinguitur ab intentione sacramenti, non est necessaria ad perfectionem sacramenti, imo neque ad ejus effectum. Nam,

si quis intendat conferre alteri sacramentum baptismi, etiamsi nolit ipsum sanctificare aut gratiam ei conferre, sacramentum erit validum et habebit effectum, si ex parte suscipientis non sit impedimentum, ut postea dicemus. Dicendum ergo est, D. Thomam loqui de secunda intentione, nam illa est necessaria ad valorem sacramenti. Et hoc patet ex citatis verbis: *Oportet quod determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis*. Ex quibus aperte constat, juxta mentem D. Thomæ requiri aliam intentionem, quam primam, nam intendere solum ablutionem, verbi gratia, et prolotionem verborum, non est intendere ullo modo sacramentalem effectum, quia illa intentio indifferens est ut tota illa actio fiat per ludum vel propter obtinendam sanitatem corporalem; D. Thomas autem requirit intentionem ita determinatam, ut hanc indifferentiam tollat et determinet actionem ad esse sacramentale, quia sola verba per se ad hoc non sufficiunt, cum possint etiam ipsa ad varios fines proferri. Per sacramentalem autem effectum non est necessarium intelligere gratiam vel characterem, sed ipsum esse sacramenti, quod est effectus ministri. Itaque intendere sacramentalem effectum nihil aliud est, quam intendere constitutionem sacramenti, actione ipsius ministri perficiendam. Vel certe, si per sacramentalem effectum, gratiam intelligamus, dicendum est, intentionem ejus esse necessariam, non in se, sed in sua causa, id est, intentionem sacramenti, quod ex se sufficiens est ad effectum sacramentalem conferendum. Nam moraliter loquendo, qui intendit sacramentum, intendit effectum sacramenti, et formalis intentio unius est virtualis intentio alterius; ideo intentio ipsius sacramenti interdum vocari solet intentio effectus. Et fortasse Soto nihil aliud dicere voluit. Et confirmatur hæc expositio D. Thomæ ex solutione ad primum, ubi egregiam differentiam D. Thomas constituit inter instrumentum inanimatum et ministrum animatum seu rationalem, quod in illo non requiritur intentio, quia non est capax ejus, et ideo satis illi est motio principalis agentis; at vero minister est capax intentionis propriæ, et concurrat non tantum motus, sed etiam aliquo modo movendo seipsum, in quantum sua voluntate movet membra ad operandum. Unde concludit D. Thomas: *Et ideo requiritur ejus intentio, qua se subjiciat principali agenti, quæ intentio sine dubio alia est a sola intentione faciendi exter-*

num opus, nam per hanc solam non subjicitur minister principali agenti, cum possit intendere illud opus sine tali subiectione, propter alios fines. Unde tandem satis exprimit D. Thomas qualis esse debeat illa intentio, dicens: *Ut scilicet intendat facere, quod facit Christus et Ecclesia*. Quod non est tantum materialiter intelligendum, id est, quod intendat facere illud opus vel proferre illa verba, quæ Christus instituit, nam hoc etiam intendit ille, qui solum ad ludum vel fictionem hæc facit; est ergo intelligendum formaliter, scilicet, quod explicite, vel implicite, vel aliquo modo intendat sacramentum facere, quod Christus instituit. Denique ex art. 10 est satis clara hæc mens D. Thomæ; ibidem enim docet: *Cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere, hoc est, contra veritatem sacramenti; supponit ergo intentionem conferendi sacramentum esse de necessitate sacramenti*. Quod vero D. Thomas subjungit, *præcipue, quando suam intentionem exterius manifestat*, non obstat expositioni datæ, sed potius illam confirmat. Cum enim dicit *præcipue*, sentit, etiam si exterius non manifestetur hic defectus, esse contra veritatem sacramenti; cum vero exterius manifestatur, tunc non solum sacramentum in se nullum esse, sed etiam coram Ecclesia, et hoc significat illud, *præcipue*, quod notandum est pro his quæ dicemus circa solutionem ad secundum. Illud etiam est considerandum, quod si defectus prædictæ intentionis mentalis non esset contra substantiam sacramenti, manifestatio ejus exterior non posset derogare veritati sacramenti. Quia illa manifestatio non addit specialem defectum, sed supponit et prodit illum. Quare, si contingeret e converso, ministrum exterius negare, velle se conficere sacramentum, tamen revera interior intentionem haberet, sine dubio conficeretur sacramentum, quia adhiberentur omnia necessaria, et solum ministri mendacium nullum esset impedimentum, quamvis in exteriori foro Ecclesiæ, tale sacramentum irritum esset existimandum.

3. Neque est difficile ad hunc sensum accommodare rationes D. Thomæ; prior enim non est intelligenda de materiali opere, quod fit sacramentum, sed de ipso sacramento formaliter seu constitutione ejus, quæ non debet esse casualis, sed humano modo facta. Si autem, ut sacramentum fieret, sufficeret voluntas ipsius operis externi, quasi materialiter sumpti, sacramentum, ut sic, casu fieret

et præter intentionem hominis operantis; hoc autem est inconveniens et contra dignitatem sacramentorum. Adde quod si non esset inconveniens, sacramentum, ut sacramentum, casu et præter intentionem fieri, nullum etiam esset incommodum, quod fieret etiam præter intentionem propriam et humanam ipsius operis materialis, ut si, verbi gratia, mulier lavans puerum casu diceret verba formæ, nec sciens nec animadvertens quid diceret, quod absurdissimum est. Et sequela patet, quia cum tota ratio hujus intentionis et necessitatis ejus sumenda sit ex ipso esse sacramentali, si hoc posset casu et præter intentionem fieri, nihil referret quod cætera etiam possent casu fieri. Posterior vero ratio D. Thomæ ex dictis fere declarata est; oportet enim, ut talis sit intentio, quæ determinet totam actionem externam ad esse sacramentale, ad quod non sufficit sola forma, cum prolatio ejus sit etiam ex se indifferens, ut declaratum est.

4. *Non dato sacramento non supplet Deus defectum sacramenti.* — In argumento secundo (de primo enim jam satis dictum est) tangit D. Thomas difficultatem, quia sequitur non posse nos esse certos de veritate sacramentorum, nec de effectibus eorum, cum non possimus esse certi de intentione ministri, ex qua omnia hæc pendent. In solutione vero duo dicit D. Thomas valde difficilia. Primo enim refert opinionem quorundam dicentium, deficiente intentione ministri, non fieri sacramentum, tamen effectum suppleri a Christo, vel absolute et immediate in infantibus, vel media fide et devotione suscipientis in adultis, quæ fuit opinio Alexandri Alens., 4 part., quæst. 13, membr. 4, quam postea secuti sunt Durand., d. 6, quæst. 2; Gab., quæst. 1, art. 3, dub. 2. De qua opinione ait D. Thomas posse admitti, quantum ad ultimum effectum sacramenti, qui est justificatio a peccatis, non tamen, quantum ad effectum characteris, quia hic nunquam imprimitur, nisi per sacramenta. Et in hac posteriori parte nulla est difficultas, quia cum puer ille revera non maneat baptizatus, non manet etiam insignitus characterem. Unde quacumque ratione constaret, etiam per revelationem, sacramentum fuisse nullum ex defectu intentionis, esset iterandum; signum ergo est, non impressisse characterem, sicut, si sacramentum fuisset nullum ex defectu essentiali in materia et forma, vel etiam si omnino non esset exterius applicatum, nam perinde est ficte seu cum essentiali defectu specie tenus applicari ac omnino

non dari. Hinc vero oritur difficultas circa alteram partem doctrinæ D. Thomæ, quia etiam effectus gratiæ et justificatio a peccatis, prout est proprius effectus sacramenti ex opere operato, nunquam datur, nisi quando sacramentum est ratum et validum, ut postea latius dicemus; ergo falsum est, quod infantibus suppleat Christus effectum gratiæ, quando sacramentum non est validum, hoc enim est contra generalem legem et regulam a Christo datam, *nisi quis renatus fuerit, etc.*, et ideo affirmari non potest sine alia revelatione vel testimonio. Et eadem ratione in adultis non suppletur effectus per devotionem eorum, nisi quatenus devotio potest esse tanta, ut perveniat ad veram dilectionem seu contritionem includentem votum sacramenti; tunc enim dabitur quidem gratia per talem dispositionem ex generali et communi lege, non quia Christus specialiter aliquid suppleat circa effectum sacramenti, quando ob defectum intentionis ministri deest veritas sacramenti. Confirmatur primo, quia rationes factæ de characterem procedunt, etiam de effectu gratiæ. Secundo, quia si sacerdos sine jurisdictione absolvat, aut si laicus se fingat sacerdotem et consecret, non propterea dicendum est, Deum supplere hunc defectum et perficere sacramentum aut effectum ejus, ne populus decipiatur; hoc enim neque ulla Dei lege aut promissione fundatum est, nec aliqua necessaria aut probabili ratione; ergo idem est in baptismo. Atque ita docuerunt Soto et Ledes. hic, et Major, in 4, dist. 2, quæst. 1, et ita mihi videtur simpliciter asserendum. Quapropter ad propositam difficultatem, quod ad rem attinet, nihil habeo quod respondeam; existimo enim hanc doctrinam esse verissimam; quod vero spectat ad D. Thomam, fateor illum concisè ac breviter percurrisse, attingendo solum quæ sibi erant necessaria, reliqua vero sine examinatione aut affirmatione prætereundo. Unde cum in illa opinione duo retulisset, unum pertinens ad infantes, aliud pertinens ad adultos, hoc tantum approbavit, non quia censeat, in eo casu dari aliquem effectum gratiæ adultis, præter eum, qui præcise respondet devotioni eorum, sed solum, ut doceat posse interdum obtineri effectum gratiæ sine reali susceptione sacramenti, quia hoc ad solutionem argumenti non nihil conferebat. Quia vero sentiebat, hoc non posse ad infantes applicari, neque ad effectum characteris, ideo ipse secundam reservationem adhibet. Dicit ergo secundo, mi-